



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati  
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos  
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

De Tempore


**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1631**

Paraphrasis in Epistolam B. Pauli ad Philippenses. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47044)

## DOMINICA VIGESIMA SECVNDA POST DOMINICAM S. Trinitatis, Epistola B. Pauli Apostoli ad Philippenses I.

 *Confidimus in Domino Iesu, quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu: sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde meo, & in vinculis meis, & in defensione, & in confirmatione Euangelij. scio gaudij mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus Iesu Christi. Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in omni scientia & in omni sensu: ut probetis potiora, ut sitis sinceri, & sine offensa usque in diem Christi Iesu, repleti fructu iustitiae, per Iesum Christum, in gloriam & laudem Dei.*

## PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

**P**aulus Apostolus Philippensibus scribens, suam sollicitudinem pro illis, zelum, paternumque insinuat amorem. Ideo dicit: Confidimus in Domino Iesu, ut is, qui opus bonum in vobis cepit per gratiam praeventientem, nunquam vobis defuturus sit per subsequentem & cooperantem: sed quod ceptum est in vobis bonum, perficiat ad finem, hoc est, usque in diem Christi Iesu, quo tunc unicuique iuxta illud quod meruit retribuet. Quae dies Christi cuique erit singularis in morte, vniuersalis autem in nouissimo die. Hoc namque ita sentio, sicut iustum est me sentire de omnibus vobis. Neque enim iustum foret aliud sentire de tam bonis filiis, eo quod habeam vos, non in solis labijs oris, sed in corde meo, & in vinculis meis. His enim vos compatimini, & propter me estis contristati & afflicti, quod hic Romae sum vincus, & carcere tentus. Ideo vos habeo quoque mecum in vinculis meis, quae mecum vos in spiritu, & ex charitate sustinetis: nec minus haec vos quam me torquent. Habeo igitur vos in corde meo, & in vinculis meis, & in defensione, & confirmatione Euangelij, pro quo ego gaudens, vincula patior & carceres. Huius autem gaudij, quod in tribulationibus habeo, & laetitiae, quam in seculo futuro sempiternam expecto, confido socios omnes vos esse & fore. Testis enim mihi est Deus, quanto affectu cupiam vos omnes, quam fideliter, quamquam sincere omnium vestrum salutem desiderem, & consolationem in visceribus Iesu Christi. Et hoc ante Deum pro vobis, vosque oro, ut charitas vestra non deficiat, sed abundet magis ac magis crescens in omni scientia & discretione, & in omni sensu prudentis, ut probetis potiora, hoc est, ut prudenter discernere valeatis, non solum inter bona & mala, sed etiam inter bona & meliora, ut sitis sinceri, integri, ac mundi corde, sine offensa, innoxij erga Deum & proximum, usque in diem Christi, hoc est, usque ad diem vitae vestrae nouissimum. Sicutque repleti fructu iustitiae, quae est abundantia bonorum operum, per Iesum Christum in gloriam & laudem Dei.

TTTT • EXE.